

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Commentatio Academica De Recta Theologiae Parabolicae
& Allegoricae Conformatione**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Christlieb, Wilhelm Bernhard
Rühle, Christian Andreas**

Tubingae, 1729

§. 6.

[urn:nbn:de:bsz:31-41906](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41906)

non videat & audiens non intelligat, ne forte convertatur & remittantur ipsi peccata, non enim datum esse populo, arcana regni cœlestis nôsse. Alius itaque parabolæ finis videri potuisset apud impios & reprobos ac apud fideles & electos (f). Sed huic dubio jam olim obviavimus. Scilicet populo non datum erat nôsse myſteria salutis sine isto involuero parabolico, cœcutientibus ad lucem veritatis simplicis Judæorum propriâ culpâ occæcatorum vel de veritate muneris Messiani, quod gerebat Christus, nondum persuasorum oculis. Discipulis saltem competeſcit hæc prærogativa, quæ præstantior jam affulserat veritatis lux. Nec simpliciter dicitur, parabolæ ipsas propositas esse, ut videntes non videant, sed sub tacitâ conditione, nisi sensum parabolæ cum discipulis nôsse desiderarent. Designatur itaque his verbis non finis sed eventus prædicationis parabolæ, imò & hujus causâ, quæ hæc erat, quòd, uti jam dictum, ad propositionem veritatis simplicis tamen converti nollent miseri Judæi. Sic enim fiebat, ut iusto Dei iudicio veritati clarè propositæ genus dicendi involutum & parabolicum succederet, suâ tamen & nihilominus claritate & amœnitate radians (g) adeoque tùm gratiæ divinæ antecedenti tùm subsequenti iudiciariæ suis modis pro variâ quoque auditorum ratione subserviens.

- (a) in vindiciis sanctitatis divinæ p. 24. 25. Adde Saldenum in otii Theol. L. 4. exerc. 3. §. 4. p. 695. 696. Neumannum in diss. de parabolâ §. 18. & Marckium in sylloge diss. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 5. p. 116. 117.
- (b) Scilicet ita Christus ad populum, innuente Marco, dixit, *καὶ δὲς ἰδοὺ αὐτοῖς ἀπέειπεν* Marc. IV. 33. Vide Geamœnum de aliamoditate scribendi in miscellan. Lips. T. 5. obs. 99. p. 70.
- (c) Ita Witsius in œcon. fœd. Dei L. IV. C. 13. p. 619.
- (d) Ita Spanhemius in vindiciis Evangelicis ad Matth. XIII. 11. 13. Opp. Theol. T. III. col. 292.
- (e) Matth. XIII. 10. sqq. Marc. IV. 11. 12. Luc. VIII. 9. 10.
- (f) Vide Marckium l. c. §. 6. p. 117. 118.
- (g) Vide vindicias sanctitatis divinæ p. 25. sqq. & Episcopii instit. Theol. L. 4. C. 13.

§. 6.

Quæstio hic movetur à Josua Placæo, Theologo Salmuriensi, cur Apostoli parabolis haud fuerint usi? Ratio est, quia obscuritas illa
rece-

revelationis, quæ in V. T. militabat, non plenè quidem in confinio V. & N. T. cessavit, unde Christus, quemadmodum id prædictum quoque fuit, parabolis usus est, hoc verò mortuo & deinceps in cælos sublato, cum omnis V. T. ratio penitus evanisset, clarissima deinceps revelatio succedere debuit. Nam Johanne Baptistâ, ita Placeus, extrinsecus tanquam stellâ matutinâ exorto & Christo tanquam sole justitia exoriente, quamdiu ipsius infirmitatum & passionum opacitos intercipiebat radios gloria Dei in ejus facie fulgentes, minuebatur quidem umbrarum obscuritas ob luminis propinquitatem & aliquam revelationem, non tollebatur tamen prorsus, & fiebant tum quoque novæ quadam umbra sed ita tennes & exiles, ut vix umbra dici mereantur, quales sunt parabole, quæ nec tam crassæ, & uti ita dicam, reales sunt, quam umbra V. T. & plus habent lucis, minus obscuritatis. Proponuntur enim ut parabole, typi verò, ut res gestæ. Itaque in typis est sensus literalis obumbrans sensum mysticum, quæ in parabolis aut nulla omnino est aut non attenditur. Hæc Placeus (a). Sed num parabolis quoque insit sensus mysticus, infra dicemus.

(a) in diss. 1. de typis, §. 25. Operum T. 1. p. 8.

§. 7.

Duplex est uniuscujusque parabolæ pars, ipsa parabola, & id, quod per illam significatur. Illa *materiale*, hoc *formale* dicitur, illa *περίστασις* est, hæc *ἀπόδοσις*, illa *ἄρτυρον*, hoc *ἄρτυρον*, quod vel expressè ponitur, vel subintelligitur tamen & subinde à lectore splendendum est. Atque hæc explicatio parabolæ vel simplex vel duplex est, simplex quidem, cum vel ab initio tantum vel in fine adjungitur, duplex, cum utrinque id fit (a). Aliter paulò Glassius, qui in parabolis *radicem*, *corticem* & *medullam* distinguit. *Radix* est scopus parabolæ, *cortex* parabolæ sensus literalis, *medulla* sensus mysticus (b). Res ferè eodem recidit.

(a) Confer Franc. Gomarum in explic. Matth. XXII. Operum T. 1. f. 80.

(b) Vide Philol. sacram l. c. art. 4. can. 3.

§. 8.

Parabolarum variæ species sunt. Sunt enim vel didascalicæ (a) vel elencticæ (b) vel pædevticæ (c) vel epanorthoticæ (d) vel pa-